

per syllogismos proponentes à scopo aberrant, quod in discursibus vagis frequentissime observamus. Persuadent hærationes, a more majoribus nostris probato, sine ratione non esse recedendum, speroque, ejusmodi publica exercitia magis profutura, si juvenibus thematis elaboratio injungatur, ex materia in lectionibus tradita. Ut vero abusum disputationum tollamus, quem viri docti reprehendunt, necesse est, ut leges præcipiantur, quas disputantes observent. Non possum non improbare eorum studium, quod in excogitandis difficultoribus argumentis collocant, nec tam quæstionis interiora fundamenta, quam potius externam faciem attendunt. Nec placent eorum argumenta, quæ rixandi studium inspiravit, ea enim raro veras quæstionis difficultates tangunt, sed res levioris momenti concernunt. Consultum quoque est, absque ambagibus dubia proponere, & brevi discursu verbisque perspicuis eadem explicare, qui enim prolixiori orationi se immittunt, facile à scopo aberrant. Monendi quoque sunt disputantes, ut, si dubia contra articulum fidei in Scripturis revelatum proferant, id non eo animo faciant, quasi rationem conceperint, quæ articulum dubium reddat; sed potius perpendant, se difficultatem movisse, cuius solutionem expectant. Sic quoque operam navabunt, ut syllogismis comptis, acumine ornatis, sed perspicuis, nullisque terminis obscuris aut inusitatis utantur, sic enim linguae facundiam sibi comparabunt. Nec multum temporis in examinanda syllogismi forma consumendum esse opinor, sed potius syadeo, ut termini obscuri, qui conceptum obscuritatem pariunt, explicitur, Dialecticus quidem syllogismi vitium ostendit, sed Theologus ipsius rei difficultatem explanat. Quæ reliqua tam opponentibus quam respondentibus